
CLASSIS DUODECIMA
ANODINA, ET NAR-
COTICA.

Quæ dolorem in toto vel parte leniunt, demulcent, mutando, vel tollendo causam, anodina, atque hæc quidem varia ex materie peti possunt. Quæ vero solam animam captivant, & quasi inebriant, insensibilem reddunt, narcotica, & majori gradu stupefacientia dicuntur.

Indicantur ad mitigationem symptomatum

1. Doloris.
2. Vigiliarum nimiarum a nimio motu spirituum.
3. In excretionibus nimis.
4. In convulsionibus.

Leniora.

CHAMOMILLA Nostras

Romana p. 121. 122.

Chamomillæ Romanæ flores decocti, decoctum admodum salsum efficiunt, adeo quidem, ac si salculinare decocto infusum, SIMON PAULI. Oleum stillatitium, ut millefolii, saphirinum.

K 5

MILLE.

MILLEFOLIUM *Off. Botanicor.* **ACHILLEA.**
 Classis Naturalis Compositarum Radiatarum,
 Germ. Taufend-Blatt. Gallis Millefeuille. Anglis
 Yarrow.

Achilleæ foliis duplicato-pinnatis, glabris, laciniis linearibus, acute laciniatis, flores destillati oleum dant saphirini coloris, sedans, antispasmodicum. Infusum florum in spasms, doloribus post partum, cardialgicis, colicis, hæmorrhoidalibus utile *FR. HOFFMANN de Præstant. Med. Domest.* tum, & sanguinis ejectionibus, hæmorrhagiis majoribus, a spasticis viscerum contractionibus eximium, *IDEM ibidem*, etiam in anxietate hypochondriaca, *STAHL*, in nephritide calculosa, *ZIMARA*. Succus multum vulnerarius ad uncias tres. quatuor, datur, flores ad manipulum semis infunduntur, ad unum herba.

TILIA *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Polyantherarum. Germ. Linde. Gallis Tilleul. Anglis Linden - Tree.

Tiliæ flores suaveolentes, anodini sunt; chronicam epilepsiam infuso florum sublatam *HOFFMANN* habet, *de Præstant. Remed. Domesticor.* Cortex itidem medius cum aqua in mucilaginem redactus, ambustionibus, podagricis, & arthriticis doloribus, præsentissime medetur, *IDEM*. Decocto vinoso corticis cachecticam in integrum sanatam vidit *SCHRODERUS*.

PRÆPARATA.

Aqua stillatitia, antispasmodica, antiepileptica, pueris datur.

VIOLÆ flores *Off. Botanicorum.* Classis Naturalis Oligantherarum. Germ. Violen. Gallis Violette. Anglis Violets.

Violæ acaulis, stolonibus teretibus, reptantibus, pedunculis radicatis, flores, suaveolentes, vim anodinam possident, ut etiam ad morbos convulsivos específicos habeat *BAGLIVIVS*; in infuso theiformi sumi possunt.

possunt. *Conserua* itidem drachmæ unius, duarum pondere, *Syrupus* haud limitata dosi. Notari meretur, semina vomitum, & diuresin movere, ideo non nullis ad calculum laudari.

Fortia.

PAPAVERIS Capita, **DIACODIUM**,
Albi succus. vide *antidota*.

Vulnusculi a pungente ape facti dolorem mitigavit, & incommoda prævertit succo, **DELISTRE** *Recueil pe-riodique* Tom. IV.

CYNOGLOSSUM *Off. Botanicorum*. Classis Naturalis Oligantherarum *Germ.* Hunds-Zung. *Gallis* Langue de chien. *Anglis* Houndstongue.

Cynoglossi foliis amplexicaulibus, lingulatis, mollibus, hirsutis, suspectam vim plurimi evulgant, negat **FULLERUS**, cum adstrictione anodinam ad hæmorrhagias, & alvi fluxus laudat **GEOFFROY**. Repetenda experimenta sunt. Radix ad soporem conciliandum inefficax, **HAMNERIN** *de viribus plantarum indigenarum*. Massæ pillularum de cynoglossa dosis grana quinque, ad octo, non ratione cynoglossi, sed opii scrupulosa.

Fortissima.

Tum ex animalium partibus sedativis, tum ex vegetabilibus petita.

CASTOREUM P. I. p. 150. 151.

MOSCHUS P. I. p. 151. &c.

CROCUS P. I. p. 91.

HYOSCIAMUS vide *Venena*.

OPIUM laud. liquidum.

SOLA.

SOLANA vide *Venena.*

STRAMONEUM vide *Venena.*

TABACUM p. 126.

His adnumerari merentur magnæ confectiones
opiatæ.

DIASCORDIUM

MITHRIDATIUM

PHILONIUM

REQUIES NICOLAI

THERIACA.



VIENNÆ,

TYPIS JOSEPHI KURZBÖCK, UNIVERS. TYPOGR.

LIBRUM PRIMUM
DE
MATERIA MEDICA
ET
CHIRURGICA
PRIMA
SYSTEMA NATURAE DIDACTICA

